

## QUÆSTIO III.

An, qui sine legitima ætate, aut literis dimissoriis, aut extra tempora ordinatus suspensionem incurrit, si postea in Sacerdotem ordinetur, ipsa ordinatione incurrat irregularitatem?

- 7 Ratio affirmandi desumitur ex prædicta Bulla Pii II. quæ, cum ita ordinatos declaret irregulares, si durante suspensione ministraverint in Ordinibus, etiam ordinatos in Sacerdotem videtur includere: quippe qui in ipsa ordinatione exercent actum Ordinis Sacerdotalis, celebrandò Missam cum Episcopo ordinante. Sicque cum nonnullis docet Ventriglia in *Annot. ad Concil. Trident. 44. num. 22.* Sed melius cum Barbosa ad *cit. sess. 23. Concil. Trident. cap. 12. num. 7.* negat *cit. Petra pag. 285. num. 19.* tum quia

non potest in rigore generaliter dici ministrare in Ordine, qui eum primò recipit: tum quia specialiter pro Missa propria talis non habetur ab Ecclesia, quam Presbyter in actuali ordinatione cum Episcopo concelebrat, sed potius pars esse reputatur Sacerdotalis ordinationis. Idemque de receptione Diaconatus aut Sub-Diaconatus tenet idem Petra *n. 20.* tamen enim horum Ordinù functio fieri censeatur post totam ordinationem, moraliter tamen loquendò fit infra ordinationem, quæ durare censeatur, quamdiu Missa durat.

## QUÆSTIO IV.

Quis dispenset cum ordinatis ante legitimam ætatem, aut extra tempora?

- 10 Dispensare posse Episcopum Ordinantem, quoad suspensionem, dummodò non fuerit ipsemet culpabilis, docet Barbosa ad *Concil. Trident. sess. 23. de Reformat. cap. 12. num. 22.* quia neque in dicta Piana constitutione, neque in Jure Communi hæc dispensatio fuit Summo Pontifici reservata. Et quamquam in Bulla Sixti V. facta sit reservatio contra malè promotos; ea tamen à Clemente VIII. ad terminos illius Piane & Concil. Tridentini revocata, & redacta noscitur. Petra *pag. 286. n. 21.*
- Dixi: quoad suspensionem: siquidem irregularitatem, quæ oritur ex ministerio in Ordine, malè suscepto, non alius tollit, quam Summus Pontifex; præterquam si fuerit occulta, in qua post Conc. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 6.* dispensat Episcopus. Petra *pag. 287. n. 28.*

## CAPUT VI.

De Impedimentis, quæ Potestati Ordinis sunt Contraria.

## SUMMARI A.

1. An illegitimè natus, ministrans in ordine suscepto, duplicem contrahat irregularitatem, & duplici dispensatione opus habeat? Ratio affirmandi. 2. & seqq. Decisio negativa cum ratione. 5. & seqq. Illegitimus non eget dispensatione ad acquirendam pensionem. 7. & seqq. Nati, ex patre illegitimo, censentur esse legitimi.

## QUÆSTIO I.

An illegitimè natus, si in Ordine malè recepto ministret, contrahat novam irregularitatem, & sic duplici dispensatione indigeat?

- 1 Dixeris fortè, quòd contrahat: cum enim ex solo legitimorum natalium defectu sit irregularis, eaque propter suspensus ab Ordinum exercitio per notata Fagnani in *cap. nisi de Renuntiati. n. 80.* subintrat regula ex *cap. latentes 4. & 1. de Clerico excommunicato ministrante*, quòd ministrans in ordine, à quo suspensus est, irregularitatem novam incurrat.
- 2 Verùm aliter, & quòd non contrahat, rectius dicunt Eminentiss. Petra ad *Const. Apo-*
- stol. tom. 4. pag. 318. n. 19.* & citati ab ipso: quia irregularitas regulariter non parit aliam irregularitatem per ea, quæ tradit Fagnanus in *cap. si quis presbyter cit. tit. num. 4. & 5.* nisi Jure sit cautum, aut censuram propriè dictam habeat annexam; sicque etiam irregularitas, ex natalium macula proveniens, non pariet novam irregularitatem: eò quòd neque textus Juris suffragetur, neque suspensio, quæ innodantur illegitimi, sic vera censura, supponens delictum grave &

Quis dispenset cum ordinatis ante legitimam ætatis, &c. 87

& personale, sed impedimentum duntaxat canonicum, obstant Ordinibus receptis & recipiendis. Unde, si hujusmodi spuris dispensationem à Sede Apostolica petat, sufficit, quòd natalium defectum exponat; neque requiritur, ut de exercitio Ordinis suscepti mentionem faciat. Corrad. in *praxi dispensat. lib. 3. cap. 5. n. 7.*

## QUÆSTIO II.

An illegitimus opus habeat dispensatione ad consequendam pensionem?

- 5 Negant innumeri ferè cum Eminentiss. Petra *cit. tom. 4. pag. 321. num. 30.* quibus Rota Romana frequentibus decisionibus patrocinatur, ipsaque Sacra Congregatio: adeò ut Corrad. *d. lib. 3. cap. 1. n. 17.* superfluum dicat supplicationem pro obtinenda dispensatione, quæ à nonnullis, contrariam opinionem sectantibus, in Dataria porrigitur: pensio quippe, licet Spirituale quid annexum habeat, attamen non est beneficium Ecclesiasticum, saltem propriè dictum; indeque ex parte hominis illegitimi nulla apparet incapitas, pensionem acquirendi, si modò primà Tonsurà fuerit insignitus, dum ex stylo Curie nemini, qui Clericorum fortè non reperitur adscriptus, conferri solet; sine Tonsura autem Clericatus non acquiritur.

## QUÆSTIO III.

An liberi, ex illegitimi patris legitimo thoro descendentes, etiam sint irregulares?

- 7 Negandum existimo cum Lotterio de *Re benef. lib. 2. q. 48. n. 7. & seqq.* Corrado in *praxi beneficior. lib. 2. cap. 12. num. 107. cum seqq.* & aliis, quos citat & sequitur Eminentiss. Petra *d. tom. 4. pag. 315. num. 53.* partim quia, qui natus est ex thoro legitimo, legitimis accensetur: partim quia parentum culpa non refunditur in liberos, sine culpa procreatos: partim quia, si legitimi liberi, ex parte illegitimo descendentes, forte incapaces reputentur jurium, quæ deberent obtinere ex persona patris, saltem incapaces non erunt facultatum aliarum, quæ cuiusque competunt ex persona propria. Certè ex communi DD. hujusmodi liberi capaces sunt aliorum jurium, privilegiorum, & dignitatum: cur ergo ab Ordinibus & beneficiis arceantur? Imò, ut refert laud. Petra *pag. 326. num. 54.* Rota Rom. in *una Leodiens. seu Aquigranens. Canonizat. dig. 7. Martii 1701.* invalida censuit esse statuta, per quæ, non accedente Sedis Apostolicæ consensu, legitimi, ex legitimis nati, ab Ordinibus & beneficiis excluduntur.

## SUPPLEMENTUM

AD

## TRACTATUM V.

DE

## POTESTATÆ JURISDICTIONIS.

## CAPUT I.

De Jurisdictione in genere.

## SUMMARI A.

1. Imperium differt à Jurisdictione in genere. 2. & seqq. Adstruuntur textus contrarii. 5. & seqq. Conciliantur cum nostra sententia. 8. & seqq. Pluribus ostenditur, imperium merum esse veram speciem Jurisdictionis. 12. & seqq. Dilucidatur argumentum contrarium.

14. Jurisdictio Ecclesiastica est eisdem vera species Jurisdictionis. 15. & seqq. Longius

exponitur, quia ex causa nos Catholici nominamus Papistam vel Pontificium.

QUÆSTIO I.

An Jurisdictio distinguatur ab Imperio?

1 Jurisdictionem in hoc cap. à num. 52. distinxit in Jurisdictionem in specie seu simplicem, & Imperium; sicque indicavi, Imperium à Jurisdictione in communi accepta distinguere tanquam speciem à genere; simulque indigitavi, Imperium à Jurisdictione simplici differre tanquam speciem à specie.

2 Unum e contra idemque esse imperium & Jurisdictionem, eruditè ostendit D. Gerardus Noodt de Jurisdic. & Imper. lib. 1. cap. 2. Nam, ubi Jurisconsultus Ulpianus in l. imperium 3. ff. h. t. describit imperium mixtum, illud esse dicit, cui etiam Jurisdictio inest; id est, quod aliàs etiam Jurisdictio appellatur.

3 Quod ipse Julianus satis confirmat tum in l. Juris Gentium 7. §. 14. ff. de Pact. ibi: si paciscar, ne operis novi nuntiationem consequar, quasdam putare, non valere pactum, quasi in ea re Pratoris imperium versetur; id est, Pratoris Jurisdictio, prout elucescit ex l. hoc edito 1. §. 9. ff. de N. O. N. tum l. ille à quo 13. §. 4. ff. ad Senatusconsultum Trebellian. ibi: Pratorum in Pratorum, vel Consulam in Consulam, nullum imperium habere; sed, si Jurisdictioni se subjiciunt,

4 Pratorum in eos jus dicere. Ulpiano consonant Paulus in l. cum prator. 12. §. 1. ff. de Judic. ibi: eum, cui mandata est Jurisdictio, iudicem dare posse, ut sunt Legati Proconsulum; item hos, quibus id more concessum est propter vim imperii, sicut Præficus Urbi; item Gajus in l. generalis 2. ff. de Adoption. ibi: generalem adoptionem duobus modis fieri, aut Principis auctoritate, aut Magistratus imperio; id est, Ju-

risdictione voluntaria, uti appellatur in l. omnes 2. ff. de Offic. Proconsul.

Hæc tamen & alia, quæ Vir insignis profert, sententia meæ haud adversantur: Nam & ipse in num. 18. adnotavi, imperium non raro in textibus Juris pro Jurisdictione poni; nempe si, ut antea monui, Jurisdictio capiatur in genere, cujus genuina species est imperium, seu mixtum, seu merum. Alioquin, quod frequenter Jurisdictionis nomine intelligatur simplex, ab imperio discreta, satis innuit cit. l. imperium 3. ff. h. t. ubi, cum imperium mixtum definiatur, cui Jurisdictio inest, vix poterit esse sensus identicus, quasi diceret Ulpianus: Jurisdictio est Jurisdictio, cum imperium mixtum à mero separaret, & utriusque indolem non per verba sed re ipsâ adumbrare voluerit. Id quod magis adhuc patescit ex l. quacunque 1. §. 1. & l. ult. ff. de eo, cui mand. est Jurisdic. ubi dum dicitur, mandata Jurisdictione imperium, quod Jurisdictioni coheret, transferri, non potest esse hic sensus: mandata Jurisdictione, Jurisdictionem, quæ Jurisdictioni coheret, transferri; sed potius Jurisconsultus ita explicari debet, quod, si alicui mandetur Jurisdictio in genere, simul etiam mandetur imperium mixtum, quod Jurisdictioni coheret, seu in quo juxta expositionem nostram, infra in c. 9. à n. 57. adstructam, facultas cognoscendi & judicandi principaliter consideratur, & jus coercendi tantum subsidiariè venit & in consequentiam, quatenus est necessarius ad tuendam Jurisdictionem contra contumaces.

QUÆSTIO II.

An Merum Imperium sit vera species Jurisdictionis?

3 Probavi id in cap. præf. à num. 69. Probaturque insigniter antea allegatus D. Noodt lib. 1. de Jurisdic. cap. 4. ac locum Ulpiani in d. l. imperium eleganter declarat: cum hoc imperium, inquit, vocatur merum, mixtoque opponitur, non hanc causam habet, quod id solum ac nudum imperium est; quamquam & merum hac significatione sumi, non ignorem, aut negem: sed quia ad ultionem lætæ disciplinæ publicæ respicit, & severitatem Judicis ac vim requirit, & ob id vehementius & insignius habetur, ut solent, quæ nullâ admixtionem aut corrupta, aut attemperata sunt. Eo sensu merum latine sciencibus usurpari, etiam Obertus Gifanius observat, Indice ad Lucretium; Justinianus quoque in l. si major 12. Cod. de Legit. hered. hoc sensu, omne, ait, jus quod ex quacunque lege liberis præstitum est, hoc merum atque immu-

tilatum hujusmodi filiis vel filiabus servari. 10 Contra id imperium, quod mixtum est, non idcirco sic appellatur, quia cognitioni miscetur, sed quia lentius est, aut non tam vehementem, quam merum imperium: neque ad vindicandam Reipublicæ Majestatem, sed ad regendam privatorum utilitatem videtur. Et facit priori sententiæ, quod Pomponius in l. necessarium 2. §. 18. ff. de O. F. & Arcadius Charisius in l. un. ff. de Offic. Præfeci. Prator. capitis animadversionem eadem ratione summam & majorem potestatem vocant.

At enim, pergit cit. Author, merum imperium dicitur gladii potestas ad animadvertendum, dicitur & coercitio, & animadversio. Memini: sed id non obstat, neque magis cognitionem ab imperio mero excludit, quam lex, cum lex Magistratui cognitionem aut Jurisdictionem indulget, ab ea exc-

executionem aut motionem separat. Igitur & merum imperium, & animadversio, & coercitio pleniùs accipienda sunt, ut animadversionem seu Jurisdictionem integram exhibeant, velut in edicto de injuriis l. item apud 15. §. 28. ff. de Injur. & l. hoc editum 1. §. 1. junctâ l. cum mandata 24. §. ult. ff. de Mi- 13 nor. Quamquam quid verbis opus est? ubi res apparet, & Ulpianus scribit l. solent 6. in princ. ff. de Offic. Proconsul. Proconsules

solere custodiarum cognitionem mandare legatis, scilicet ut praudentes custodias ad se remittant, ut innocentem ipsi liberent, sed hoc genus mandati extraordinarium esse; & addit, nec enim posse quem gladii potestatem sibi datam, vel cuius alterius coercitionis, ad alium transferre. Unde constat, cognitionem Ulpiano facere partem potestatis gladii, & sub mero imperio comprehendendi. Haftenus Gerardus Noodt, cuius verba proposito nostro sufficiunt.

QUÆSTIO III.

An Jurisdictio Ecclesiastica sit genuina species Jurisdictionis?

14 Non dubitant circa hoc punctum Catholici; quin & ex Acatholicis contra Huberum in Addition. ad ejus Praelect. Jur. Civil. p. 2. ad tit. ff. de Jurisd. post num. 13. tradit Thomastus, distinctionem Jurisdictionis Ecclesiasticæ & Sæcularis, etiam originem debeat Papatui (ita per contemptum loqui solent) tamen & observatum fuisse ante reformationem (satiùs vocasset deformationem) in tota Europa, & post reformationem etiam in territorii Protestantium ferè ubique observari. Probationes ejus distinctionis, si desiderentur, plures occurrent in seq. cap. 2. & 3. uti & in Jurisprud. Publ. Univ. lib. 3. cap. 1. per tot.

15 Id unicum contra nostros Adversarios, qui cum in hac Jurisdictionis Ecclesiasticæ materia, tum in alijs confinibus, nos Catholicos vocant Papistas, nostramque Religionem & hierarchiam Papatûs titulo indignant, generatim notasse juvabit, quod non multis abhinc annis in simili argumento propriis & alienis verbis notavit Clariss. P. Philippus Van Wavre ex Ord. Eremit. S. Augustini in Alma Universitate Lovanienti, SS. Theologiae Licentiatu de Privilegio S. Petri ad Success-

probrum, sed decus & encomium. Id quod in Donatistarum causa observat S. Augustinus, cum diceret lib. post collat. cum Donatist. cap. 32. qui nostrum hoc auderet optare, ut, quos iniquitas fecerat nostros impugnatores, equitas nostros faceret defensores? sicut & illum Baalam, quem temporibus antiquis ad maledicendum DEI populum conduxit iniquitas, benedicere compulsi veritas. Non mireris 18

(prosequitur idem Author) si Recentiores hæretici Catholicos homines Papistas dicant, cum Ariani eadem ratione Romanos consueverint Catholicos appellare. Sed certe nullò sublimiori gloriæ titulo exornare, nec certius eos esse Catholicos demonstrare potuissent, quam eos nuncupandò Romanos atque Papistas. Nam, ut constat 19 ex Optato adversus Parmeniarum, & Cypriano, de Unitate Ecclesie, & alijs tum Latinis tum Græcis Patribus, nullò certiori signo quam ex communionem cum Romano Pontifice, quis sit verus Catholicus, potest agnosci. Sint igitur nobis viventibus hæc semper præconia laudum, & post mortem tituli sepulchrales, ut Romani sic temper dicamur atque Papistæ.

16 forum ejus pag. 57. & seq. Sicut, inquit, non est probrum ovium Christi, si ab ipso Capite vocentur Christiani, vel ab Universitate Catholici; ita non est probrum, si ab ejus universali Vicario Pontificii nominentur: utrumque enim non schismatis aut sectæ, sed Catholicæ totalitatis & universalitatis, loci, ac temporis argumentum est. Et infra: dubium quidem non est, quin ex malevolentia Lutherus & Lutherani Catholicis indiderint nomina Papistarum, Pontificistarum, Romanistarum, & similia: ut nimirum eos probrò aliquò effigere viderentur; sed reverà illud non est

Imò verò, replicabis, à Papa nominamur 20 Papistæ; & quid est Papa nisi homo? Respondet S. Chryllostomus homil. 33. in Acta Apostol. quod nos agnominem cujusquam sumus, at non us ab hæresum Principibus, sed ut ab his, qui præsumt nobis, & gubernant Ecclesiam; ubi Sanctus Doctor nos distinguit, qui Romani (id est, Pontificii) nominamur, ab alijs, qui ab hæresiarcho nomen accipiunt; adeoque concludit, eos, qui Romanam gubernant Ecclesiam, hæresiarcho esse non posse, nec hæreses condere, neque fidei dogmata subruere.



## CAPUT II.

## De Jurisdictione Summa Ecclesiastica.

## SUMMARI A.

¶ & seqq. Aliquos SS. Patrum testimonia referuntur, ex quibus in speciem probatur, Episcopis inferioribus eandem cum Summo Pontifice esse potestatem. 7. & seqq. Ad singula cum fundamento respondetur. 18. & seqq. Externa quadam adminicula pro Jurisdictione Pontificia supra Concilium. 20. & seqq. Plura argumenta & rationes ex Bulla Pii II. afferuntur. 28. & seqq. Nonnulla de infallibilitate Papa delibantur. 30. & seqq. Roboratur nostra assertio, quod non detur appellatio à sententiâ Papa. 33. & seqq. Magis confirmatur. 38.

& seqq. Fusè demonstratur, an & quo cum effectu aliqui prædictis temporibus appellare præsumserint. 48. & seqq. Concilia Generalia, legitime congregata, summâ pollens auctoritate. 50. Debent autem congregari mandato vel approbatione Pontificis. 51. & seqq. Debet Pontifex interesse per se vel Legatos. 54. & seqq. Debent vocari omnes Episcopi. 58. & seqq. Solent etiam vocari Abbates exempti & Generales Ordinum. 60. Possunt intervenire alii quoque, sed absque voto. 61. Servatur inter presentes Ordo.

## QUÆSTIO I.

## An penes solum Summum Pontificem Summa Jurisdictio Ecclesiastica resideat?

1 **A**dversus dogma verè Catholicum, quò soli Pontifici Maximo tribuitur Summa Jurisdictio, in hoc cap. à num. 36. immotis rationibus fundatum, legi in quodam Authore nonnulla Veterum PP. testimonia, per quæ convincere conatur, Episcopis inferioribus eandem esse potestatem, quam habet Papa; sicque penes hunc solum Summum Jurisdictionem Ecclesiasticam non residere. 2 Sic enim, ait ille, J. S. Cyprianus in *epist. 54. ad Cornel.* scribit: cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut unusquisque causa illic audiatur, ubi admissum est crimen, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam coherentem suâ subdola & fallaci temeritate collidere. 3 II. Syricius Papa, imploratus pro dijudicanda causa alicujus Episcopi, Bonosi nominati, ita respondet: accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed, cum ejusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonosi atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent; adversimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. 4 III. Sixtus Papa in *epist. ad Proculum Constantinopolitanum* ait: habes recentissimum nuper habita actionis exemplum fratris nostri Iddua, circa quem una fraternitatis decrevimus judicium custodiri, cognitioni tuae facere nolentes injuriam. 5 IV. S. Augustinus, ad Cœlestinum Papam scribens, monet, ut non inducat famosum typhum, hoc est, fastum, ambitionem & superbiam sæculi in Ecclesia Christi, qua Lucem simplicitatis & humilitatis diem videre

cupientibus præfert. V. Ipse Cœlestinus Papa in *epist. ad Concil. Ephesin.* ita differit: hæc ad omnes in communi Domini Sacerdotes mandata prædicationis cura pervenit; hereditario in hanc sollicitudinem jure constringimur, quicumque per diversa terrarum loca Apostolorum vice nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur: ite, docete omnes Gentes. Advertere debet vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum, & omnes id nos agere voluit, quibus in commune mandatis officium: necesse est, ut competenter omnes sequamur auctores.

Sed certè ex allatis testimoniis difficilior aliud subsidium pro firmanda assertione contraria, quam aquam ex silice, elicies. Quod enim I. juxta S. Cyprianum quilibet Episcopus habeat portionem sui gregis, suasque oves pascere, regere, & judicare possit, fatemur omnes Catholici. At, si judicium Episcopi quispiam gravatum se conqueratur, aut ipsemet Episcopus criminis ejusdam insimuletur, an non superest Judex Superior, Summus Pontifex, ad cujus supremum tribunal causa referenda? Certè hic S. P. lib. 1. *epist. 3. sub init.* apertè scribit, hæreses, & schismata ex eo nasci, quòd non nisi Sacerdoti, qui vice Christi Judicem agit, universa fraternitas obtemperat.

Quòd II. Siricius Papa in causa Bonosi, Episcopi Sardicensis, judicandi formam sibi non competere, scripsisse dicitur, id profectò non est intelligendum de defectu potestatis judicandi, sed de convenientia & decencia, postquam Synodus Capuana, eò fine congregata, certis Episcopis causam & factum examinandum delegaverat: quippe cum Bonosus postmodum ab ipso quoque Siricio definitivè fuerit condemnatus. Auctoritatur P. Franciscus Pagi in *Breviario Romanor.*

Pont.

Pont. rom. 1. pag. 115. Bonosus, inquam, Sardicensis Episcopus, Christum purum hominem asserens, duosque in Salvatore filios agnoscens, æternum unum, alterum temporalem; asserens præterea, DEI param Virginem à partu Christi alios suscepisse liberos, ab Anytio Thessalonicensi & cæteris Illyrici Episcopis, quibus fuerat à Synodo Capuanâ, circa annum 389. celebratâ, causâ illius cognitio demandata, damnatus est. Ejus errorem damnavit etiam Siricius Pontifex, ut constat ex ejus epistola ad Anytium & cæteros Episcopos, per Illyricum constitutos.

1 Quòd III. Sixtus Papa (haud dubiè tertius hujus nominis, ex quo Sixtus II. Anno 257. ad Pontificatum effectus nullas literas, saltem de quibus authenticè constet, dedisse noscitur) in epistola ad Proculum Constantinopolitanum ejus judicium custodiri decreverit, fecit, quod decet Summum Pontificem, custodire nempe judicia Episcoporum, veluti Judicium Ordinariorum suæ dioceseos, quamdiu manent intra limites veritatis & justitiæ; quin tamen hæc eadem judicia reformationi Pontificiæ subsint, dubitare non sinit appellatio, ab Helladio Tarsensi & Eleutherio Thyansenis Metropolitibus ad eundem Sixtum III. interposita, ex qua ceti egregio antiquitatis monumento (ut loquitur idem Franciscus Pagi pag. 182. & seqq.) patet, quantum hallucinati fuerint, qui voluere, Orientales Episcopos nunquam olim ad Romanos Pontifices, sed semper ad generalem totius Ecclesiæ Synodum provocasse. Imò Cri-

tica Baronii Author Anno 433. scribit, Alexandrum Hieropolitanum Episcopum cum tota sua provincia ad Sixtum appellasse, & Ireneum Synodici authorem, licet Nestorianum, ideòque ab Apostolica Sede aversum, Romanas appellationes probasse.

Quòd IV. D. Augustinus humilitatem fastui præferendam monuerit, Sedis Romanæ Primate, summæque ejus Jurisdictioni tum parum aliquid detrahit, quam parum auctoritas Pontificia minuitur, quando Papa se scribit servum servorum DEI. Quanta verò cum efficacia supremum in Ecclesia imperium exercuerit Cœlestinus I. Pontifex, evidenter elucescit ex condemnatione Nestorii, & Concilio Ephesino, de quo plura cit. Pagi pag. 161. & seqq. Quam etiam studiosus & observans fuerit Præsul Hyponensis erga Sedem Apostolicam, ac illius Primatum extulerit, ex instituto tractat supra memoratus P. Philippus Van Wavre in *opuscul. de Privilegio S. Petri ac Successorum ejus.*

Quòd V. mox allegatus Cœlestinus in epistola ad Patres, in Concilio Ephesino coadunatos, meminerit, idem omnium Episcoporum esse prædicationis officium, plusquam verum est: nam & Pontifex se scribit Episcopum, & Episcopos nominat venerabiles fratres, tanquam ejusdem muneris & oneris consortes. Ex hoc tamen neutiquam concluditur, quòd Episcopi eandem prorsus Jurisdictionem & potestatem habeant cum primo & supremo Episcopo: quippe cum huic omnes alii subordinati, atque ipsius judicio & censuræ obnoxii sint.

## QUÆSTIO II.

## Sitne Jurisdictio Pontificia supra Concilium universale?

18 **A**ssertionem affirmativam cum communi sensu & approbatione omnium Doctorum extra Galliam (ubi tamen etiam non paucos & bene mediam partem, atque inter hos etiam Episcopos, Doctores Parisienses, Religiosos, Pastores, variosque è statu Ecclesiastico reperire est, qui nobiscum sentiunt, veluti non adeò nuper testatum fecit Reverendiss. D. Matthæus Pettitidier Ord. S. Bened. Abbas S. Petri Senonensis in *tract. Theolog. de Auctor. & infallibilit. Summarum Pontific. cap. 1.*) ad abundantiam stabilivimus in 19 *præf. cap. à num. 83.* Pro ulteriori robore cit. Author non parvi pendendum putat illud seu principium seu præjudicium, quòd teste ipsomet Gersone, primò quasi contrariæ opinionis sectatore & fautore, de *Potestat. Eccles. concl. 12.* antè Concilium Constantiense sic prævaluerit nostra sententia, ut, qui dissentire voluisset, de hæretica pravitate vel notatus fuisset, vel damnatus: siquidem in materia fidei ac Religionis omnis nova opinio saltem tanquam suspecta haberi, eaque, quæ semper tradita ac pro certa tenebatur, retineri debet.

In subsidium quoque adducendus Emmentiss. D. Cardinalis Vincentius Petra in *Commentar. ad Constit. Apostol. rom. 5. pag. 322. & seqq.* ubi refert, & egregiè explanat constitutionem Pii II. quæ incipit: *in minoribus*, dicti antea Æneæ Sylvii, editam 26. Aprilis 1463. nostroque proposito plurimum accommodam, & paucis hic repetendam. In hac constitutione, ad Rectorem & Universitatem Colonensem directâ, Summus Pontifex fatetur I. se, Sacris Ordinibus necdum initiatum, cum Basileæ inter eos versaretur, qui se generale Concilium facere, & universalem Ecclesiam repræsentare aiebant, dialogorum quendam librum ad præfatam Universitatem scripsisse, in quo de auctoritate Concilii Generalis ac de gestis Basiliensium, & Eugenii Papæ contradictione, ea probavit, vel damnavit, quæ probanda vel damnanda censuit, & quantum capiebat, tantum defendit, aut oppugnavit. II. retractat suum errorem, nec timet, exemplò D. Augustini manifestare suam culpam, in quam aliorum, præcipuè Magistri sui, aliorumque magni nominis Virorum, exemplò

M 2

&amp;

23 & consilio ex juvenili inconsiderantia incidit. III. ne fortasse aliqui dicant, eum cum Pontificatu suam opinionem mutasse; breviter & candidè narrat, quâ occasione, & quibus ex causis in priorem sententiam erroneam fuerit prolapsus; quorum item ductu & persuasione respicere inceperit; postea Romanum Curiam, solò caractere clericali insignitus, adierit, & Eugenio, cum fuisset rebellis, submisit cervicem, à quo misericordiam consecutus, ad unionem Græcorum navarit operam, & illis, Romanæ Ecclesiæ reconciliatis, adversus impios Turcas legationem acceperit. IV. superioritatem Concilii inter alia deducit ex verbis S. Bernardi, ad Eugenium III. ita loquentis: *tu es Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuël, potestate Petrus, unctioe Christus. Tu es, cui claves tradite, cui oves creditæ sunt. Sunt & alii quidem Cœli janitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosius, quanto & differentius præ illis nomen hereditasti. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos, tibi universi crediti uni sumus. Nec modo ovium, sed & pastorum tu unus omnium pastor.* Hac (concludit V. idem Papa) Bernardus ad Eugenium III. scribit, cui supremam & omnimodam potestatem in Ecclesia concedit. Quod ille de tercio testatur Eugenio, hoc nos de quarto, & omnibus aliis Romanis Pontificibus 26 profitemur, quia dignitatis est auctoritas. Li-

quet igitur, unum in Ecclesia Caput esse, & unum Principem, quia pax populi ex uno Rectore dependet, & pluralitas Principum discordiam parit. Christus Ecclesiæ suæ in ultimo testamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendavit. Dedit ergo & regimen pacis amicum, id est, Monarchicum, sub Beato Petro & Successoribus ejus administrari cuncta præcipiens, clavibus illi commissis, & curâ gregis demandatâ. Hac nos de Romani Pontificis auctoritate & potestate sentimus, cui & congregare Concilia, & dissolvere datum est. Qui, est filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur; & sicut filiationis causâ venerari debet Ecclesiæ, tanquam matrem, ita & pralationis causâ præfertur ei ut pastor gregi, princeps populo, Rector familie. Cum his & generalis Concilii auctoritatem & potestatem complectimur, quemadmodum & evo nostrò Constantia, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum, definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium, & cuncta, qua præcesserunt, à Romanis Pontificibus nostris Prædecessoribus approbata, inter qua nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod sit ante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate convenerit, quia non est corpus Ecclesiæ sine Capite, & omnis ex capite desinit in membra potestas. Hac nostra sententia est, filii: hac credimus & profitemur: hac jam senes, & in Apostolatus apice constituti, pro veritate asserimus. Si qua vel vobis vel aliis conscripserimus aliquando, qua huic doctrinæ repugnent, illa tanquam erronea, & invidialis animi parum pensata judicia, revocamus, atque omnino respuimus.

QUÆSTIO III.

An Summus Pontifex in iis, quæ decernit extra Concilium, sit infallibilis?

28 Respondi in hoc cap. n. 247. & seqq. quòd, si Summus Pontifex, ex Cathedra loquens, atque auctoritate Apostolicâ Ecclesiæ universalem docens, seu veritatem aliquam tenendam & credendam proponens, aliquid decernat, aut contrarium tenentes hæreticos vel temerarios pronuntiet, sit infallibilis, debeantque credi, quæ ita decreta aut declarata sunt. Qui plura ad eruendam hanc veritatem desiderat, poterit recurrere vel ad Eminentiss. D. Cardinalem

Sfondratum in Regali Sacerdot. rar. lib. 3. vel ad Reverendiss. D. Matthæum Pettididier cit. tract. Theolog. de Auct. & Infallib. Summorum Pontif. gallicè primò conscriptum, dein jussu Sanctiss. D. N. Benedicti XIII. in linguam Italicam translatum, atque peculiari epistola, quam ad Authorem dedit, quamque refert Verfor Latinus, Gallus Cochier ex Monasterio D. Ettonis vulgò Ettenheimmünster, Apostolicò oraculo laudatum. Nobis ad ulteriora progrediendum est.

QUÆSTIO IV.

An liceat à iudicio vel sententia Summi Pontificis appellare?

30 Non licere, advertimus in hoc cap. à n. 85. tenentque omnes extra Franciam, & in ipsa Francia non pauci, veluti patet ex historia nostri temporis, ubi, qui adversus Constitutionem Unigenitus, sancitam à sanctæ memoriæ Clemente XI. appellare præsumpserunt, auctoritate Regiâ severè compescuntur. Et meritò: quia, ut loquitur

Pius II. in sua constitutione, quæ incipit execrabilis edita 15. Calend. Februarii 1459. „execrabilis, & pristinis temporibus inauditus tempestate inolevit abusus, ut à Romano Pontifice, JESU Christi Vicario (cui dictum est in persona Petri, paxce oves meas, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis) nonnulli spiritum rebellionis imbuti, non san-

31 dioris cupiditate iudicii, sed commissi evitacione peccati, ad futurum Concilium provocare presument, quod, quantum Sacris Canonibus adversetur, quantumque Reipublica Christiana noxium sit, quisquis non ignarus Furium intelligere potest. Namque (ut alia præmittamus, que huic corruptela manifestissimè refragantur) quis non illud ridiculum judicaverit, quod ad id appellatur, quod nusquam est, neque scitur, quando futurum sit? Pauperes à potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita scelera, nutritur adversus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica disciplina, & hierarchicus ordo confunditur, 32 Inauditum pristinis temporibus abusus Pontifex appellat appellationem ad Concilium; id quod non negat ex Scriptoribus Gallicis, Petrus de Marca de Concord. Sacerdot. & Imp. lib. 4. c. 17. n. 1. superiore capite, inquit, novam quandam rationem vidimus in Ecclesiâ inventam ab iis, qui Romana Curia censuris premi existimabant, scilicet appellationem à Papa decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesiâ admilla fuit provocatio à Papa ad Concilium. 34 Nempse, postquam magnum illud in Ecclesiâ schisma tamdiu duraverat, ut ad illud extirpandum, cum tres Pontifices pro legitimis haberi cuperent, necessarium fuerit Concilium Generale, Constantiæ congregatum, ceperunt aliqui nimium extollere Concilium Oecumenicum, illudque etiam legitimo Capiti præponere: unde alii sumpserunt occasionem, appellandi à Papa ad Concilium, & inter has Legatus Regis Poloniæ, qui ejusdem Concilii Constantiensis tempore ad futurum Concilium, quod in decimum annum indicabatur, provocare ausus est à Martino Papa V. Contra quos hic ipse Martinus, eodem Concilio adhuc vigente, in publico Consistorio decretalem promulgavit hujus tenoris: nulli fas est, à Supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice JESU Christi Vicario in terris, appellare, aut illius Judicium in causis fidei, qua tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam deferenda sunt, declinare. Cui decretali paruerunt Poloni, tacentes & acquiescentes; imò & ipsum Concilium assensit, cum Legatis appellantis non adhererit. Eminentiss. Card. Vincentius Petra ad Const. Apostol. tom. 5. pag. 239. num. 15. 38 Ferunt quidem nonnulli, ait, cit. Petra pag. 237. n. 12. appellationes hujusmodi, jam olim interpositas à schismaticis & hæreticis, imò etiam Catholicis, evenisse ante Concilium Constantiense; ut de Donatistis asseritur, fuisse ab eis ad praxim redactas, appellando à iudicio Papæ Melchiadis; sed id nullò documentò antiquo probatur, & quæ evenerint appellationes, eas malè cessisse, & in schisma ac hæreses ipsos provocantes devenisse, si antea tales non fuissent, tradit 39 Victoria relect. 4. prop. 20. Ita Palladius & Secundianus Episcopi Arriani Concilium Oecumenicum congregari postularunt. Sed,

non obstante appellatione, damnati fuere, & exauctorati, ut refert D. Ambros. epist. ad Imperatorem nomine Concilii Aquileiensis. Ita 40 Pelagiani appellantes non tantum audientiam non sunt consecuti, sed econtra ad pœnitentiam compulsi fuisse leguntur, ut refert P. Philippus van Wavre de S. Augustini sensu de Appellat. p. 2. cap. 2. q. 2. Et, postquam à S. Pontifice Innocentio Pelagiani damnati fuerunt, D. Augustinus Serm. 2. de Verb. Apost. cap. 10. dixit: cum enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt: causa finita est, utinam aliquando finiatur error. Ita ipsimet Donatistæ, quamvis de eorum appellatione, autalis fuerit, dubitari possit ex iis, quæ tradit cit. Van Wavre d. l. p. 1. cap. 1. quæst. 3. §. 3. malè notati sunt: quippe quorum provocationem S. Augustinus epist. 162. quæ nunc 53. inscribitur, perversitatem & impudentiam vocat; econtra sententiam Melchiadis dicit ultimam, & de Romana Ecclesiâ pronuntiat: in qua semper Apostolica Cathedra viguit Principatus. Cui conformiter scripserat S. Optatus lib. 1. 42 contra Parm. Cæcilianus, ajens, omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntians, etiam Melchiadis sententiâ, quâ iudicium clausum est; quasi diceret, etiam à Summo Pontifice est absolutus, post cujus iudicium de Cæcilianus innocentia non est dubitandum. De quo iudicio iterum Augustinus: ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica. Præter has appellationes adhuc duas alias, 43 ante Concilium Constantiense factas, recenset Petrus de Marca d. l. videlicet Friderici II. Imperatoris, & Philippi Pulchri Galliarum Regis. Verum antea cit. Eminentiss. Pe- 44 tra pag. 237. num. 14. studiosè observat, à Friderico II. non fuisse appellatum à Papa ad Concilium, sed potius à Concilio Generali Lugdunensi ad aliud Generalius, sub eo colore, quòd illud non esset Generale, cui plures Episcopi defuerunt; cum tamen nullum Concilium possit dici generalius alterò, si fuerit congregatum auctoritate Papæ, & vocati omnes. Similiter pag. seq. d. n. de 45 Philippo Pulchro commemorat, eum non appellasse à vero Pontifice ad Concilium, sed à Bonifacio VIII. velut illegitimo Papa, ut ille (licet erroneè) dicebat, ad Papam legitimum in verb. ad prædictum Concilium congregandum, & ad futurum verum & legitimum Summum Pontificem, ad illum vel illos, ad quem, vel quos de jure fuerit appellandum, provocamus, appellamus. Addit Philippus Van Wavre 46 de S. Augustini sensu de Appellat. p. 2. cap. 2. q. 2. quòd, licet Clemens V. Successor Bonifacii VIII. rem moderatus sit cum Philippo Pulchro, eique adherentibus, non tamen censuerit, censuras, à Bonifacio VIII. latis, esse nullas, aut per appellationes sufflamintas, sed potius validas, cum Regem aliosque absolverit ab illis, ut refert ipse Petrus Natalis, alioquin in favorem appellantium addu-